

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. XII. Quibus non est permissum facere Testamentum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

menti antea non jure e. g. a Filiofam. conditi, sive quid illi adjecerit, sive detraxerit, sive alias manifeste Voluntatem suam declaraverit. §. IV. *J. b. L. 25. ff. b. (d)*

§. 4. I. h. IV. Testamentum hoc Militis durat (1) post Missionem honestam vel causariam intra Annum, §. III. *J. b.* licet Conditio Hæredi adscripta post Annum extiterit: *d. §.* nam retrahitur. *L. 26. ff. d. cond. inst. (e)* (2) Licet, qui militare Testamentum fecit, arrogatus vel emancipatus fuerit, quasi nova Militis Voluntas declarata esset. §. V. *J. b. l. 22. ff. b.*

§. 5. I. h. V. Testamentum Militis pro Affini agnoscit Testamentum quasi militare, a quasi Milite Filiofam. de quasi castrens. Peculio solenniter conditum, §. VI. *J. b. e. g. ab Archiatro. l. f. C. d. in offic. Testam.*

## TIT. XII.

*Quibus non est permissum facere Testamentum.*

*De filio-familias.*

*Ex Cajo l. 6. pr. ff. qui test. fac. poss.* **N**ON tamen omnibus licet facere testamentum. Statim enim ii, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent: adeo quidem, ut

(d) Fecisse testamentum Militem interpretandum est, qui se velle Testamentum, quod ante fecerat, valere aliquo modo declaravit. *L. 25. ff. b.*

(e) Cum quis sub Conditione Heres institutus fuerit, Conditione expleta pro eo est, quasi pure Hereditas relicta fuisset. *L. 26. ff. d. cond. inst.*

quam-

quamvis parentes eis permiserint, nihilo magis jure testari possint: exceptis iis, quos antea enumeravimus, & præcipue militibus, qui in potestate parentum sunt, quibus de eo, quod in castris acquisierunt, permissum est ex Constitutionibus Principum testamentum facere. Quod quidem jus ab initio tantum militantibus datum est, tam ex auctoritate Divi Augusti, quam Nervæ, nec non optimi Imperatoris Trajani: postea vero subscriptione Divi Adriani, etiam dimissis a militia, id est veteranis, concessum est. Itaque si quidem fecerint de castrensi peculio testamentum, pertinebit hoc ad eum, quem heredem reliquerunt. Si vero intestati decesserint, nullis liberis vel fratribus superstitis ad parentes eorum jure communi pertinebit. Ex hoc intelligere possumus, quod in castris acquisierit miles, qui in potestate patris est, neque ipsum patrem adimere posse, neque patris creditores id vendere, vel aliter inquietare, neque patre mortuo cum fratribus commune esse: sed scilicet proprium ejus esse, qui id in castris acquisierit: quanquam Jure Civili omnium, qui in potestate parentum sunt, peculia perinde in bonis parentum computentur, ac servorum peculia in bonis dominorum numerantur: exceptis videlicet iis, quæ ex sacris Constitutionibus, & præcipue nostris, propter diversas causas non acquiruntur. Præter hos igitur qui castrense peculium, vel quasi castrense habent, si quis alius filiusfamilias testamentum fecerit, inutile est, licet suæ potestatis factus decesserit.

Ex Ulp. l. 1. §. 15 ff. de Collat.

De impubere & furioso.

1. Præterea testamentum facere non possunt impuberes: quia nullum eorum animi judicium est. Item furiosi: quia mente carent. Nec ad rem pertinet, si impubes, postea pubes; aut furiosus, postea compos mentis factus fuerit, & decesserit.

Ex Ulp. l. 3. ff. qui test. fac. poss. Ex Pompon. l. 1. §. 16. ff. eod.

○

Furiosi



Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, jure testati esse videntur, certe eo, quod ante furorem fecerint, testamento valente. Nam neque testamenta recte facta, neque ullum aliud negotium recte gestum, postea furor interveniens perimit.

*De prodigo.*

*Ex Ulp. l. 18. pr. ff. qui test. fac. poss.* 2. Item prodigus, cui bonorum suorum administratio interdicta est, testamentum facere non potest: sed id, quod ante fecerit, quam interdictio bonorum suorum ei fiat, ratum est.

*De surdo & mutuo.*

*Ex Caj. l. 6. §. 1. ff. eod.* 3. Item surdus & mutus non semper testamentum facere possunt. Utique autem de eo surdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tarde exaudit. Nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tarde loquitur. Sæpe enim etiam literati & eruditi homines variis casibus & audiendi & loquendi facultatem amittunt. Unde *\* v. l. 10. C. b. 2.* nostra *\** Constitutio etiam his subvenit, ut certis casibus & modis secundum normam ejus possint testari, aliaque facere, quæ iis permessa sunt. Sed si quis post testamentum factum adversa valetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit: ratum nihilominus manet ejus testamentum.

*De cæco.*

*\* v. l. 8. C. b. 2.* 4. Cæcus autem non potest facere testamentum, nisi per observationem, quam Lex Divi *\** Justinii patris nostri introduxit.

*De eo, qui est apud hostes.*

*Ex Caj. l. 8. pr. ff. qui test. fac. poss.* 5. Ejus, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non valet, quamvis redierit: sed quod, dum in civitate fuerat, fecit: sive redierit, valet jure postliminii: sive illic decesserit, valet ex Lege Cornelia.

I. Testa-

I.

**T**estamenti faciendi Jus habet *Paterfamilias* regulariter. *PR. J. b. j. l. 120. ff. d. V. S.* Sed *Pr. I. h. non est permissum facere Testamentum* (1.) *Filiofam.* etiam hodie; licet (1) Pater ei Testamenti Factionem permiserit; *PR. J. b. j. l. 3. ff. qui testam. fac. poss. l. 45. §. 1. ff. d. R. J.* (2) habeat Peculium adventitium irregulare; *PR. J. b. l. u. C. qui test. fac. poss.* (3) Testamentum condiderit & postea suæ Potestatis factus decesserit: *PR. J. b. j. L. 29. ff. d. R. J. Præterquam de Peculio castrensi & quasi castrensi.* In eo enim pro *Patrefam.* habetur, *l. 2. ff. ad SCt. Mac.* idemque pleno Jure ad *Filiūfam.*, nullo autem ad *Patrem*, pertinet. *PR. J. b.* Quodsi vero intestatus decesserit *Filiūfam.*, *Liberi* ejusdem *Parentibus* in *Successione* præferuntur, *N. 118. c. 1.* sed *defuncti Fratres germani* una cum *Parentibus* concurrunt. *d. N. c. 2. j. d. PR.* Apud *Saxones* *Parentes collaterales* excludunt. *a. 2. l. 1. a. 17.*

II. *Non potest testari* 2) *impubes* ob *deficiens Animi Judicium*, *§. I. J. b.* atque hæc *Impubertas* æstimatur ex *Anno 14.* in *Masculis*, 12 in *Fœminis* nondum completo, *l. 5. ff. qui testam. fac. poss. j. l. 4. C. eod.* nec valet *impuberis Testamentum*, quamvis *pubes* factus decesserit. *§. I. J. b. j. l. 29. ff. d. R.* (a) 3) *Furiosus*, licet postea *compos Mentis* factus fuerit & decesserit; *§. I. J. b.*

(a) *Quod ab Initio vitiosum est, non potest Tractu Temporis convalescere. L. 29. ff. d. R. J.*

L. 29. ff. d. R. J. nisi Intervalla dilucida habeat, iisque durantibus Testamentum facere cœperit, idque consummaverit: l. 9. C. qui testament. fac. poss. j. §. I. J. b. ante Furorem tamen conditum sustinetur, §. I. J. b. j. l. 85. §. 1. ff. d. R. J.

III. Testandi Jure destituitur 4) prodigus, cui §. 2. I. h. Bonorum Administratione interdictum est, §. II. J. b. l. 18. ff. qui test. fac. poss. l. 40. ff. d. R. J. conf. Nov. Leon. 39. Interim factum ab eo, antequam ipsi Bonis interdiceretur, Testamentum valet, §. II. J. b. l. 85. §. 1. ff. d. R. J. 5) Mutus & surdus, (qui nihil eloqui nec audire potest, §. III. J. b.) Natura, Leg. 10. C. qui test. fac. poss. item Casu talis, vel mutus tantum, nisi scribere queat: d. l. 10. Surdus tantum vero vel scribendo vel nuncupando recte testabitur. d. l. 10. Cæterum legitime condita ab his, ante Vitium illud contractum, ultima Voluntas non corrui. §. III. J. b.

IV. Nequit testari 6) cæcus, nisi juxta Formam in L. 8. C. qui Test. fac. poss. R. J. d. A. 1612. t. 2. von Testamenten §. 9. determinatam, §. IV. J. b. ita scilicet, ut præter ordinariam Testamentorum Solennitatem 1) adhibeatur Notarius, eoque deficiente octavus Testis, qui eadem, quæ alias Notarius, expediat; 2) Voluntas Testatoris vel nuncupetur, nempe expresso Nomine proprio Hæredis ejusque Dignitate, manifeste declarata Voluntas Manu Tabularii sub Obtutu 7. Testium in Scripturam redigatur, vel scribatur a quocunque Nomine Testatoris, & postea, coram Testibus & Tabulario convocatis, Scriptura depromatur,

Testa-

Testatori & Testibus a Tabulario prælegatur, atque prælecta a Testatore pro ultima Voluntate agnofcatur. *d. l. 3*) *Notarii* vel octavi Testis *Testiumque Subfcriptio & Subfignatio* addatur. *d. l. j.*  
*R. J. d. A. 1512. Ordn. der Not. t. 2. §. 1. 9.*

V. *Jure Civili* 7) *captus ab Hostibus testari non potest*, tanquam Servus, §. *V. J. h.* quod ad ca. §. 5. I. h. ptoſ ab Infidelibus applicatur. *a. R. J. d. A. 1542.*  
§. *ii.* Interim tn. *Testamentum*, dum *in Civitate* fuerat, *factum*, ſi redierit, Fictione *Postliminii*, ſi illic deceſſerit, Fictione ex *Lege Cornelia* ſuſtinetur, §. *V. J. h. j. l. 6. §. 5. ff. de injuſt. rupt. irr.* etiam *hodie*, ſi ſpectes *captum ab Infidelibus*. *Ad Mortem damnatus hodie Civitatem & Testamenti Factionem activam* habet ſalvam, quod *in Sax. El. P. 3. C. El. 6.* confirmat, modo *Rei Bona* per *Sententiam Fiſco addicta* non ſint. *d. C.*

## TIT. XIII.

### *De Exheredatione Liberorum.*

*Jus vetus. De Liberis in potestate.*

**N**ON tamen, ut omnimodo valeat testamentum, ſufficit hæc obſervatio, quam ſupra expoſuimus: Sed qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum heredem iſtituat, vel exheredem eum nominatim faciat. Alioqui ſi eum ſilentio præterierit, inutiliter teſtabitur: adeo quidem, ut ſi vivo patre filius mortuus ſit, nemo heres ex eo teſtamento exiſtere poſſit, quia ſcilicet ab initio non conſtiterit teſtamentum. Sed non ita de filiabus & aliis per virilem ſexum deſcendentibus liberis utriuſque ſexus antiquitati fuerat obſervatum: ſed